

De zelfmoord van Dido (Verg. Aen. IV, 675-705)

'Hōc illud, germāna, fuit? Mē fraude petēbās? 675  
Hoc rogos iste mihi, hōc ignēs āraeque parābant?  
Quid prīmum dēserta querar? Comitemne sorōrem  
sprēvistī moriēns? Eadem me ad fāta vocāssēs,  
īdem ambās ferrō dolor atque eadem hōra tulisset.  
Hīs etiam strūxī manibus patriōsque vocāvī 680  
vōce deōs, sīc te ut positā, crūdēlis, abessem?  
Exstīnxtī tē mēque, soror, populumque patrēsque  
Sīdoniōs urbemque tuam. Date, vulnera lymphīs  
abluam et, extrēmum sī quis super hālitus errat,  
ōre legam.' Sic fāta gradūs ēvaserat altōs, 685  
sēmīanimemque sinū germānam amplexa fovēbat  
cum gemitu atque ātrōs siccābat veste cruōrēs.  
Illa gravīs oculōs cōnāta attollere rūrsus  
dēficit; īnfīxum strīdit sub pectore vulnus.  
Ter sēse attollēns cubitōque adnīxa levāvit, 690  
ter revolūta toro est oculīsque errantibus altō  
quaesīvit caelō lūcem ingemuitque repertā.  
Tum Iūno omnipotēns longum miserāta dolōrem  
difficilīsque obitūs Īrim dēmīsīt Olympō  
quae luctantem animam nexōsque resolveret artūs. 695  
Nam quia nec fātō meritā nec morte perībat,  
sed misera ante diem subitōque accensa furōre,  
nōndum illī flāvum Prōserpina vertice crīnem  
abstulerat Stygiōque caput damnāverat Orcō.  
Ergo Īris croceīs per caelum rōscida pennīs 700  
mīlle trahēns variōs adversō sōle colōrēs  
dēvolat et suprā caput astitit. 'Hunc ego Dītī  
sacrum iussa ferō tēque istō corpore solvō'.  
Sīc ait et dextrā crīnem secat, omnis et ūnā  
dīlāpsus calor atque in ventōs vīta recessit. 705